



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli**

**Viegas, Brás**

**Parisiis, 1615**

Commentarium Primum Exegeticum. De quinta visione Ioannis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39261**

# COMMENTARIUM PRIMUM EXEGETICUM.

De quinta visione Ioannis.

Visio imaginaria huius capitis describitur, & explicatur.

## SECTIO PRIMA.

I. **D**OCET in primis Ioannes vidisse in caelo aliud signum magnum, & mirabile, septem nimirum Angelos, hoc est, multos, vt communiter aiunt interpretes, more Scripturæ septenario numero vniuersitatem complectentis. Neque enim placet quorundam recentiorum sententia, existimantium hos septem Angelos esse septem illos spiritus, de quibus dictum est cap. i. septem, inquam, numero, & non plures, qui continuo ad thronum Dei assident. Non placet, inquam, quoniam cum illi septem spiritus sint omnium Angelorum Principes, rebusque humanis sublimi quadam, & altissima administratione præsideant, vt eo loco diximus: sanè non possunt esse septem isti Angeli habentes plagas nouissimas, phialasque plenas iræ Dei in terram fundentes de mandato vnus ex quatuor animalibus, cum puniendi officium non ad supremos illos Seraphim, sed ad infimos quosque Angelos pertineat. Quare omnino amplectenda est communis explicatio in septem hisce Angelis plurimos Angelos, qui Diuinæ iustitiæ sint administri, similiterque in septem plagis, & septem phialis multas plagas, multasque phialas accipiendas esse.

II. Secundò, Hi septem Angeli habebant septem plagas nouissimas, est id, deputati erant septem plagis nouissimis inferendis. Cur autem istæ plagæ nouissimæ appellentur, statim Ioannes exposuit subiungens: *Quoniam in illis consummata est ira Dei*, id est, in his septem plagis finiuntur omnes plagæ, quas in hac vita Deus peccatoribus inferet, quia nimirum extremis mundi temporibus accident. Tertiò, Vidit tanquam mare vitreum mistum igne, & eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum habentes ciuitates Dei, & cantantes canticum Moysis serui Dei, & canticum Agni. Communis explicatio, quem sequuntur Beda, Pann. Primas. Richard. de S. Vict. Rupertus Ansbertus, & alij, est per mare vitreum mistum igne intelligendum esse sacramentum Baptismi, quod mare dicitur: quia sicut in mari Rubro Pharaon cum equitibus suis, ita in Baptismo Daemon cum peccatis submergitur, iuxta illud i. Cor. 10. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare vitreum transierunt, & omnes in Moise baptizati sunt in nube, & in mari.* Appellatur hoc mare vitreum: tum propter puritatem, quæ in Baptismo confertur: tum quia omnes Christiani sinceri esse debent, & veritate, morumque candore instar vitri pellucetes. Est mistum igne propter Spiritum sanctum, qui in Baptismo tribuitur, vt Ioannes Baptista prædicabat Matth. 3. *Ipsè vos baptizabit in spiritu sancto, & igni.* Addit Ansbertus, quia hoc mare calore ignis in solidum vitrum conuertitur: (propterea enim apparet simile vitro) meritis in eo fides charitate formata.

Beda.  
Pann.  
Primas.  
Rich. Vict.  
Rupertus.  
Ansbert.  
Daemon cum  
peccatis sub-  
mergitur in  
Baptismo.  
i. Cor. 10. 1.  
Matth. 3. 11.  
Ansbert.

ca declarari, quæ ne fluida sit, ignis ardore solidum vitrum efficitur, vt Spiritus sancti facibus inflammata, & Christi passionibus tanquam aurum probata per puritatem resplendeat, & omni vento doctrina non fluctuet: atque hoc esse supra mare vitreum stare, & de bestia, eiusque imagine triumphare. Ille enim supra mare vitreum igne permittu stat, qui virtute sancti Spiritus, ac Domini passione roboratus fide, quam in Baptismo suscepit, firma stabilitate tuetur, iuxta illud Eccl. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis*: quorum vox resonat Psal 65. *Transiimus per ignem, & aquam, & auxiliasti nos in refrigerium*: quasi diceret: Quia per Baptismatis sacramentum, Dominicamque passionem tanquam vasa figuli probanda transiimus, idcirco ad hoc peruenire meruimus, vt nullis terrorum imbribus in molliem conuertamur. Itaque certis in mari Baptismum, in vitro fidem, quæ in Baptismo suscipitur, in igne vel Spiritum sanctum, vel tribulationem accipiendam esse, in quo igne vitrum fidei conicitur, & solidatur, atque adeo merito mare vitreum mistum igne fidei Baptismi persecutionibus probatam adumbrare: supra quod mare victores Antichristi securi stant, habentes citharas, & cantantes canticum Moysis, quoniam fidem in Baptismo suscepit Antichristi terribilibus superatis retinuerunt. Pro quo beneficio gratias Deo agentes citharas habent, & cantant canticum Moysis, quod ipse etiam post submersum in mari Rubro Pharaonem decantauit. Nec solum canticum Moysis, sed etiam canticum Agni, id est, Christi, cuius nimirum ope, & praesidio de Antichristo, eiusque sectatoribus triumpharunt. De mari hoc vitreo dicere hoc loco plura super sedemus, quoniam fusè de eo disputauimus cap. 4. ad illa verba: *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo.*

Eccl. 27. 6.  
Psal. 65. 12.

Apoc. 4. 6.

Quartò, vidit Ioannes in celo apertum templum tabernaculi testimonij. Coniunxit templum cum tabernaculo, tum quia vtrumque typus Ecclesie fuit: tum etiam, vt in tabernaculo Moysis, quod Synagoga, & in templo Salomonis, quod Ecclesiam adumbravit, vtrumque populum a Domino iudicandum significaret: aut certe tabernaculum celum appellauit, templum autem tabernaculi templum celi. Nomen autem testimonij ad tabernaculum pertinet: sic enim c. 21. de celo loquens ait. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*. Quintò, Exierunt de templo septem Angeli habentes septem plagas nouissimas vestiti lapide mundo, & candido, & preiecti circa pectora zonis aureis, quod postea fusiùs explicandum est: interim illud ad explanationem contextus annotare sufficiat pro eo, quod nos habemus; *Vestiti lapide mundo*, aliàs legi, *lino mundo* vt ait Beda, Haymo, & Ansbert. qui veramque lectionem suis commentariis illustrarunt. Haymo etiam ait in quibusdam codicibus legi, *lapidibus mundis*. Et quidem germanior videtur lectio, *lino mundo*, quoniam hoc vestimenti genus tribus Angelis solet in sacris literis, veluti Ezech. 9. *Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis*: & Dan. 10. *Ecce vir vnus vestitus lineis*. Et ita hoc loco habent Biblia Complutensia, imò Prima. legi: *Vestiti lineis mundis*: Arethasus *lino mundo*. Facile autem Græcè pro *lineis* id est, *lino* facere *λίθινος* id est, *lapide*. Verum nos cū Bedæ, Haymone, & aliis vtrique lectione in commentariis exponemus.

II I.  
Templum cum tabernaculo quare coniunxerit Ioannes. Apoc. 11. 3.

Varia lectio. Beda. Haymo. Ansbertus. Ezech. 9. 2. Daniel. 10. 5. Biblia Complut. Prima. Arethas.

Sextò, Vnum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas; plenas ira Dei viuientis in secula seculorum. Diximus initio quatuor animalia; quorum sapè in hoc opere sit mentio, esse quatuor Euangelistas: quare hoc loco vnum è quatuor animalibus quemlibet ex Euangelistis significat: eum enim vna omnium doctrina sit, vnus pro omnibus ponitur. Quia verò reprobi idcirco damabuntur, quod Christi fidem, doctrinamque respuerint in quatuor Euangelis comprehensam: merito vnum de quatuor animalibus

IIII.  
Euangelista doctrina vnus.



dedisse dicitur septem Angelis septem phialas plenas irae Dei, qui nō sine mysterio dicitur hoc loco viuens in secula seculorum, vt nimirum reprobi intelligant, nisi his plagis conuertantur, supplicium suum apud inferos in omnem aeternitatem duraturum, cum eorum iudex, & vindex Deus sit viuens in secula seculorū.

*Iudicia Dei incomprehensibilia.*

Post eundem impletum est templum fumo a maiestate Dei, & de virtute eius: nemo poterat intrare in templum, donec consummarentur septem plagae septem Angelorum. Significat haec sumi obscuritas iudicia Dei esse incomprehensibilia, neminemque posse ad eorum perfectam cognitionem penetrare: potissimum verò obscurissima esse haec iudicia de septem plagis nouissimis, quarum rationes nemo penitus inspiciet, nisi postquam consummatae fuerint iudiciumque aduenerit, quo tempore harum septem plagarum rationes manifeste fient: hoc enim est neminem potuisse intrare in templum, donec septem plagae consummarentur. Haec sunt, quae visione huius capitis continentur, in qua duo praecipue vberiores expositione desiderant: vnum est, cur iracundia Dei in phialis aureis asseruetur: alterum, cur Angeli septem istas plagas illaturi in pulcherrimo, & eleganti habitu apparuerint, vestiti nimirum vel pretiosis lapidibus, vellino manto, & candido, praecinctique circa pectora zonis aureis, quae iam sequentibus sectionibus explicare aggredimur.

Quid phialae aureae, plene iracundiae Dei significant?  
Et vnum de quatuor animalibus dedit septem phialas aureas plenas iracundiae Dei.

## SECTIO II.

*Pannon.* I. Phiala, vt ait Pannon. cuius sententiam probabiliorē iudicamus, sunt ipsa Dei iudicia, in quibus ira reseruatur, hoc est supplicia improbis suo tempore inferenda. Vt autem ex praecedentibus est perspicuum, vnum ē quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiae Dei, quas in orbem effunderent, in quo illud sese offert dignum obseruatione, cur ira Dei dicatur recondi & asseruari in phialis aureis, & inde in terram effundi? Cum enim quod in phialis aureis reconditur, magno in pretio haberi soleat, sanè spectata benignissima Dei natura conuenientius videbatur, vt beneficia potius, quam supplicia aureis phialis conderentur. Supponendum est pro huiusce rei intelligentia phialam vas esse potiorum lato ore. Quidam in eo phialam à patera differre existimant, quod patera pedem non habeat, aut certe exiguum, phiala autem habeat paulo altiore, & in inferiori parte sit lata, versus superiorem partem strictior, & in angustum os desinens. Atque ita phialam fere omnes interpretes acceperunt. Hoc supposito sit prima obseruatio, Deum quidem, quod ad se attinet, non seruare iram, sed nos ipsos eam in eius thesauros inferre, iuxta illud ad Roman. 2. *Secundum duritiam tuam, & impenitentem cor thesaurizasti iram in die irae, & reuelationis iusti iudicij Dei* quo loco thesaurizare accumulare significat. Itaque peccator quoties peccat, ad thesaurum irae nouam accessionem facit, & cupulum.

*Habet Deus suppliciorum thesauros. Hier. 50. 25. Iob. 38. 22.*

II. Secunda obseruatio, Deus etiam habet in thesauris iram, id est, supplicia, quae dicitur in thesauris seruare, vt cum iustitiae & quitas postulauerit, ea peccatoribus distribuat: quo sensu dicitur Hierem. 50. *Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa irae suae*: & Iob. 38. *Nunquid ingressus est thesauros nivis, aut thesaurus grandis*

grandine: ubi de niue, & grandine sermo est, quatenus interdum à Deo loco supplicij inferuntur, ut patet ex verbis consequentibus: *Asperisti, quia preparans in tempore hostis in die pugnae, & belli.* Vnde sicut Rex aliquis, postquam bellum hostibus indixit, iubet aperiri armamentaria, ut inde omnis generis arma promantur: ita Deus cum statuit in peccatores vindicare, aperti iudiciorum suorum armamentaria, in quibus varia suppliciorum genera condita asseruantur, que thesauros appellat: quia cum ad correctionem, & salutem ordinantur, magno sanè pretio instar pretiosissimi cuiusdam thesauri aestimanda sunt. Quam eandem ob causam hoc loco ira Dei in phialis non aeneis, aut fictilibus, sed aureis quasi ali- quid pretiosissimum recondita memoratur: ex quo licet colligere, quo in pretio labores à Deo in hac vita inflicti mortalibus haberi debeant.

Inflicti à Deo labores quibus faciendi.

Tertia obseruatio: Seruatur ira Dei in phialis, indeque effunditur: quoniam III. iuxta eam phialæ acceptionem, quam de quorundam sententia, & interpretum hoc loco expositione tradidimus, cum phiala os angustum habeat, non potest ira inde nisi guttatim fluere. Quoniam igitur Deus iram suam moderatè, paulatimque potius distillat, quam fundit, inde est, quod eam in phialis arcu, & compressum os habentibus seruatam continere dicitur. Quo pertinet illud Ezech. 20. *Et illa ad Africam: nec enim dictum est Propheta: Effunde, sed stilla ad Africam: quia sermo erat de suppliciis ad Africum inferendis, quemadmodum in eum locum obseruauit D. Hier. Et non, inquit, tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quedam, & pars: si autem stilla corda scruaria est, quid in totis imbribus aestimandum erit? Eodem sensu dicitur eidem Propheta, c. 21. *Et illi hominis pone faciem suam ad Hierusalem, & stilla ad sanctuaria: & Dan. 9. stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysis super Deum, quia peccatum est ei.* Cur enim stillare dicitur maledictio, Dei que ira: nimirum quia ex phialis funditur, quæ angustò sunt ore, hoc est, ex Diuinis iudiciis, quorum ora misericordia comprimit, & ideo angusta sunt, & stricta, ne fundant, sed stillent iram. Misericordia enim est, quæ Diuina iudicia constringit, ac temperat, iuxta illud Pl. 77. *Ipse autem est misericors, & propitius set peccatis eorum, & non disperdet eos.* Cuius rei statim ratio subiungitur verbis illis consequentibus: *Et abundauit, ut auerteret iram suam, & non accendit omnem iram suam, & reuertitur est, quia caro sunt.* Quo loco illud, *abundauit*, ad misericordiam pertinet, quæ abundat super iram: quia semper Deus plus miseretur, quam irascitur. Itaque non abundauit, ut perderet, sed ut auerteret iram suam, eamque constringeret. Et quamuis iuxta proprietatem linguæ Hebrææ illud, *non accendit omnem iram suam*, significat nullam iram accendisse, sed totam auertisse, & remississe: tamen alij ita accipiunt, ut non omnem iram, sed partem aliquam accenderit: atque adeo iram per misericordiam temperauerit, phialæque os magis compresserit.*

Ezech. 20. 4. 6. Distillat, non effundit iram suam Deus. D. Hieron.

Ezech. 21. 2. Dan. 9. 11.

Psal. 77. 38.

Plus miseretur quàm irascitur Deus.

Quarta obseruatio, Phiala plena iræ Dei dicuntur aureæ, ut iam supra indi- cauimus, quoniam ex amore tanquam ex aurea phiala Diuina in nos ira, atque animaduersio procedit, cum nos in hac vita castigat, ut corrigat. Itaque cum punimur, existimare debemus eiusmodi supplicium esse veluti pretiosum opobalsamum, quod ex phiala funditur aurea: sicut è contratio maximi supplicij loco ducere, cum peccantes minime punimur. Vnde apud Ezechiel. 16. tanquam magnum quoddam supplicium comminatur Deus, cum ait: *Requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* Quam ob causam dicebat Hieremias: *Noli in patientia tua suscipere me, id est, noli me vita priuare sustinendo, me peccantem, nec suppliciis emendando.* Sic enim hunc locum plerique interpretantur: optant enim sancti puniri in hac vita pœna tem-

III.

Diuina in nos animaduersio procedit ex amore.

Ezech. 16. 42.

Hier. 15. 15.

*Hier. 10. 13.* porali, ut aeternam subterfugiant. Unde idem Hieremias, cap. 10. ita Deum precatur: *Scio Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressu sui. Corripe me, Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me.* In iudicio, inquit, id est, supplicio temperato, & quod ad correctionem, & emendationem pertineat: & non in furore, hoc est, ad damnationem. Idem habes *Abac. c. 3.* *Ingredietur putredo in osibus meis, & subter me scateat, hoc est: variis, molestissimis, que doloribus afficiat, & omnem huius vitæ, gravissimam licet, penam sustineat: quorumnamque requisita in die tribulationis, & ascenda ad populum accinctum nostrum, hoc est, ut huiusmodi doloribus, & suppliciis emendatus non peream, sed obtineam salutem.* Habes hac de re illustrem sententiam *2. Mach. 6. vbi libri eius aucto rita loquitur: Obsecro autem eos, quibus libri lecturi sunt, ne abhorrescant propter aduersos casus, sed repentent ea, que acciderunt non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. Et enim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere magnum beneficium est iudicium. Non enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, ut eas, cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat: sed in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem deuolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem a nobis misericordiam suam amittet: corripens vero in aduersis populum suum non derelinquit.* Verum de hoc argumento multa iam sparsim toto hoc opere diximus.

Cur septem Angeli habentes phialas plenas iræ Dei tam pulchro, & eleganti habitu describantur.

Exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, & candido, & praeincti circa pectora zonis aureis.

SECTIO. III.

**I.** Non est tacite prætereundum, quod septem illi Angeli habentes phialas plenas iræ Dei ad eas effundendas in terram non lugubres, sed festiuas vestes induci processerint quasi de hominum suppliciis, calamitatibusque lætantes. Describuntur enim vestiti, siue lapide, siue lino mundo, & candido iuxta variam lectionem, quam suo loco tradidimus, & praeincti ad pectora zonis aureis, quæ habitus elegantia lætitiæ, gaudiumque designat. Responderi in primis potest Angelos dolere quidem, quod nostris sceleribus Deum ad supplicium de nobis sumendum prouocemus: alia tamen ex parte, cum cernunt Deum meritis pœnas tandem deposcere, lætari, quod videant Diuinum impleri consilium, siue Domini honorem vindicari. Sed & illud etiam dici potest, hoc indumentorum genere non gaudium, & lætitiæ Angelos, sed Diuinam in puniendo æquitatem; imo & misericordiam representare, ut ex iis, quæ iam dicemus, palam fiet. Vestiti igitur in primis apparent lino mundo, & candido, (sicut legendum sit) ut ipso lini candore Diuinorum iudiciorum, quæ in effundendis phialis exercent, puritatem, candidamque, & mundam ab omni siue passione, siue crimine Diuinæ iustitiæ æquitatem declarent: id quod ingenuè fatebatur Ezechias Rex *Esai. 38. 14.* *Domine vim patior, responde pro me. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?* (sic enim legendum est ex Hebræo, ut legit D. Hieronymus, non, fecerim) quem locum ita D. Hieron. interpretatur. *D. Hieron.* Dicebam, inquit, ad eum: Plus patior, quam mea poscunt merita, sed etsi quid erravi, conuertar ad melius: tu responde pro me: non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

Rursusque

Quis in se reuertitur: Quid dicam, quidve causabor contra factorem meum, aut quid mihi respondebit, qui fecit ipse, quod voluit: Sustinenda ergo sunt, quaecumque decreuerit. Iuxta quam expositionem confitetur Ezechias Deum nihil iniuste agere, atque ad eos nos non posse, cum punimur, quaequam aduersus eum causari, cum ipse sit, qui punit, qui summa iustitia est.

Eandem Dei iustitiam a quissimam praedicabat Iob, cum dicebat e. 9. *Quis sum ego, qui respondeam ei, & loquar verbis eius cum eo? Quae etiam si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicium deprecabor.* In quae locū D. Greg. omnia, inquit, humana iustitia iniustitia esse conuincitur, si districte iudicetur. Pro eo ergo post iustitiam indiget, ut quae succumbere discussa poterat, ex sola iudicii pietate conualescat. Merito iustitiam Iob Deus per virgam vigilantem expressit Hier. 1. *Virgam vigilantem ego video: non solum, quia sollicitudine, summaque cum vigilantia Deus providentiam habet rerum humanarum, ut recte super illas vigilare dicatur: sed quoniam eius iustitia oculata est, nec per errorem supplicium infert, sed maximo iudicio, & examine verberat, ut vigilans eo loco idem sit, quod oculos habens, quibus grauitatem culpa, suppliciumque magnitudinem ei respondentem considerat.* Iuxta aliam vero lectionem dicuntur *vestes lapideae mundae, seu lapideae mundis, & praeterea praecincti circa pectora zona aurea*, quia pulcherrimos, pretiosissimosque lapillos, zonalque aureas, ornatum videlicet & virtutum, & gloriae pulcherrimum promittit Deus iis, qui supplicium ab ipso illatis emendantur. Significatur etiam Angelos ex charitate ad puniendum procedere, quae in ipsis zonis aureis circa pectora indicatur. Verum enim pectora zonis aureis cingunt, cum charitatis affectibus praecincti suppliciorum plagas ex phialis quoque aureis ad hominum emendationem fundunt.

Communis septem Angelorum de praedicatoribus expositio proponitur.

SECTIO IIII.

**D**iximus, quae circa hos septem Angelos in literali sensu probabiliora indicauimus: ne tamen communem expositionem neglexisse videamur, eam quoque breuiter perstringemus. Igitur in his septem Angelis vniuersos extremi temporis Praedicatores accipiendos esse, qui phialas plenas irae Dei in terram effundant, id est, terribilia peccatoribus decreta à Deo supplicia denunciet, tradunt communiter interpretes, Rupert. Beda, Haymo, Pann. Richard de S. Vict. Ansbert. & alij. Sic verò interpretatur: Primum, Praedicatoribus euenit Phialas irae Dei in terram fundere, hoc est, diuinis comminationibus, suppliciorumque denunciatione homines à peccando deterere, cum prudentia tamen, ac dexterate: idcirco enim in phialis, quae angustae sunt ore, iram Dei continere describuntur, ut magis, minusve fundant pro temporum proportionem: qua ratione, ut obseruauit Diuus Gregorius libr. 20. Moral. super illa verba Iob. capit. vigesimo nono. *Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant, ad consilium meum: verbis meis addere nihil audebant, & super illas stillabant eloquium meum.* In hac stillatione eloquij, inquit Greg. quid aliud, quam mentis pura praedicationis accipitur: quia oportet, ut exhortationi gratia singulis iuxta capacitates ingenij conferatur. Etiam per hoc, quod subditur. *Et super illos stillabat eloquium meum: indicatur dispensatio Magistrorum: debet enim subtiliter, quae docet, perspicere, ne plus studeat, quam ab audiente capiat, praedicare.* Debet enim ad infirmitatem audientium effigere.

Ecc iij

femetipsum contrahendo descendere, ne dum parvis sublimia, & idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse. Hæc ille. Simul eam in phialis aureis continent, quoniam ex charitate, zeloque salutis animarum proficisci debet prædicatio, ut exhortationes suas Concionatores ex Phialis aureis fundere videantur. Secundò, *Exierunt de templo*, id est, de secreto cordis, ut interpretatur

*H.ymo.* I Hayno, quoniam orationi, & contemplationi dediti esse debent, & concionem Orationi sint intima in secreto cordis oratio præcedere, ut cum ad concionandum procedunt, de templo egredi videantur. Id quod exemplo suo Christus docuit, ut perpendit idem Greg. l. 6. Mor. cap. 16. ad illa verba cap. 5. *Ingressi in abundantia sepulchrum.* Hinc est, inquit, quod humani generis Redemptor per diem miracula in urbibus exhibet, & ad orationis studium in more pernoctat, ut perfectis videlicet Prædicatoribus innuat, quatenus nec affluam, vitam amorem speculationis funditus deserant: nec contemplationis gaudia penitus operatiuæ primæque conseruant: sed quiets contemplantes se habeant, quod occupati si erga proximos loquentes refundant. Hæc Greg.

## II.

Tertio, Debeat esse vestiti lino mundo: tum propter vitæ puritatem, tum propter macerationem carnis, quæ in lino exprimitur: quod multum prius macerari solet, quam texendis vestibus seruiat. Itaque illis virtutibus vestiti esse debet, quibus reliquos vestire cupiunt, iuxta illud Psalm. 131. *sacerdotes tui induantur iustitia.*

*Psal. 131. 9.* Loquitur de hoc argumento eleganter sanctus, & subtiliter D. Bernardus, serm. 18. super Cant. ubi docet prius Concionatorem. Doctoremque sibi debere doctrinam infundere, quam alius effundat: ducitque similitudinem à concha, quæ prius ipsa impletur, quam in alios redundet, si sapiens, inquit, concham se exhibebis, & non caulem: hic quidem bene sumpsit & recipit, & refundit: illa vero donec impleatur, expectat, & sic quod superabundat, sine suo damno communicat. Et ne meum consilium contemptibile dicas,

*Pro. 29. 11.*

*Pro. 29. 11.* audi sapientem me: *Stultus, ait Salomon Proverb. 29. profertur spiritum suum: sapiens reservat in posterum.* Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas vero per paucas. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum existimo, quem sapiens posuit, Eccl. trigesimo dicens: *Miserere anime tue placens Deo. Dicit enim David.*

*Eccl. 30. 24.**Psal. 62. 6.*

*Eccl. 30. 24.* Pl. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum: infundi nimirum prius volens, & sic effundere: nec solum infundi prius, sed & impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non ostendit, & de inaniitate, capite imitans illum, de cuius plenitudine omnes accepimus. Dicit & tu non nisi de pleno effundere, hæc Deo laudatior esse vellet: conchas miseris fontem, & non manat ille in rivum, nec in litum extenditur, donec satis saturatur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusorem. Denique ipse fons vitæ plenus in se ipso nonne quidem primum ebulliens, & sapiens in proximo secretis cælorum omnia implevit bonitate, & tunc demum impletis secretis, superioribusque partibus erupit ad terras, ac de superfluo homines, & iumenta salvavit, quem admodum multiplicavit misericordiam suam Deus: prius interna replevit, & sic exundans in multis miserationibus suis visitavit terram, & inebriavit eam, multiplicavit locupletare eam. Ego & tu fac similiter implere prius, & sic curato effundere. Hæc dicit Bernardus.*

## III.

*Ezech. 28. 13.*

Quarto, Iuxta viam lectionem vestiti debent lapide mundo, id est, Christo, seu lapidibus mundis, hoc est, omni virtutum genere: quæ pretiosis lapidibus comparantur Ezech. 28. ubi ornamenta, virtutesque Luciferi pretiosis lapidibus gemmis significatur. *Omnia, inquit, lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topasius, & iaspis, chrysolithus, & onyx, berillus, saphirus, & carbunculus, & smaragdus, aurum opus decoris tui.*

## III.

Quinto, Præcincti esse debent, circa pectora & omis aureis. Prima expositio est per zonam istas aureas charitatem accipiendam esse, quæ vinculum perfectionis appellatur



appellatur ad Coloss. 3. quam tradit Rupert. Ansbert. & alij. Rectè igitur Ange-  
 li circa pectora præcincti zonis aureis ostenduntur, quia sanctorum prædicatorum  
 corda nulla debent à se diffensione seungi, sed ex sola charitate constringi, vt ait  
 Ansbert. Et præterea, quia ipsi met debent summa erga Deum, & proximum cha-  
 ritate fulgere. Secunda est de castitate, quæ zonæ aureæ circa pectora similis di-  
 citur, quia sancti prædicatores non solum turpia, & inquinata carnis operâ, quæ  
 in lumbis restringuntur: verum etiam ipsas immundas cogitationes vigore me-  
 tis frænare debent: quæ expositio ab eodem Ansberto, Richardo de S. Vict. &  
 Haymone traditur. Tertia est Abb. Ioachimi, quæ eodem fere cum præcedere  
 recidit: Zonas, inquit, pelliceas circa lumbos habere multorum est: auream vero circa pecto-  
 ra paucorum: quia nimirum multi sunt, qui carnis continentiam seruant, paucorum vero est  
 mentis mundiciam possidere. Porro ad castitatem corporis Zona pellicea sufficit, quia carnis  
 maceratio luxurie petulantia domat: hic vero zona aurea necessaria est, quia nullo modo men-  
 tem continere possumus, ne per immunda desideria dissolatur, nisi eam indesciementer speciali  
 meditatione constringamus.

Quarta est Primasij per zonam auream accipientis sapientiam, qua Concio: IV.  
 nator præstare debet, iuxta illud Prou. 16. secundum editione Septuaginta: *Ac-  
 cipite sapientiam sicut aurum.* Et merito circa pectora zona stringitur, vbi etiam sa-  
 cerdotale pectus iubetur gestare rationale, vt sibi mens bene conscia diuina nõ  
 audeat reprehendere, sed laudare iudicia, & illius auri fulgore alios quoque ad  
 laudandum exhortetur. Quinta est aliorum. *Vestitis sunt lapide mundo,* id est, bona  
 conuersione: aut etiam, lapide, id est, patientia, & mansuetudine. Ezech. 3. *Vt uida-  
 mantem, & ut silicem dedis faciem tuam.* Debet enim prædicator esse adamas per ma-  
 suetudinem, vt attrahat peccatores ad gratiam: silex vero per patientiam, vt la-  
 boriosum concionandi munus animosè sustineat, & iniurias improborum sa-  
 pienter ferat: aut certe per mansuetudinem magnes, per patientiam adamas, quod  
 in laudem Magni Athanasij usurpauit Greg. Naz. in orat. funebri. Duorum, in-  
 quit, lapidum naturas imitabatur laudabilium: factus enim est percutientibus  
 adamas, dissidentibus magnes.

ARGUMENTVM.

Adhuc perseverat quintæ visio huius operis. Septem illis Angelis, qui superiori  
 capite cum septem phialis plenis iræ Dei apparuerunt, præcipitur, vt eas in terram  
 effundant in quarum effusione multa, eaque admiranda prodigia contigerunt, vt pa-  
 tebit ex sequentibus.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

**A**udiui vocem magnam de templo dicentem septem  
 Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in ter-  
 ram. Et abiit primus Angelus, & effudit phialam suam in  
 terram: & factum est vulnus sæuum, & pessimum in ho-  
 mines, qui habebant characterem bestię, & in eos, qui adorauerunt  
 bestiam, & imaginem eius. Et secundus Angelus effudit phialam  
 suam in mare: & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima  
 viuens mortua est in mari. Et tertius effudit phialam suam super flu-